

# PELAGIUS BRITANNUS.

## DE VITA ET SCRIPTIS PELAGII

### Dissertatio,

AUCTORE GARNERIO, MARI MERCATORIS OPERUM EDITORE

(Hanc dissertationem videsis Patrol. tom. XLVIII, col. 266-297.)

## OPERUM EDITIONUMQUE PELAGII

### RECENSIO,

AUCTORE SCHOENEMANNO

(Bibliotheca Patrum Latinorum historico-litteraria).

#### § 1. SCRIPTA.

##### I. Quæ etiam nunc supersunt integra Pelagii scripta.

1. *Expositionum in Epistolas Pauli libri XIV*, scriptum Romæ adhuc versaretur Pelagius. Diu et jam inde a sæculo sexto Hieronymi nomen tulerunt. Sed Pelagiani, imo ipsius Pelagii esse dudum cognitum est. Vid. Voss. Hist. Pelag. l. 1, cap. 4. Enimvero ut nunc habemus, ab auctore suo profecti non sunt, sed passim et præcipue in Epistola ad Romanos per Cassiodorum ab iis quæ contra fidem catholicam dicta viderentur, repurgati. Cf. Garner. ad Mercat. App. ad Diss. 6, part. 1.

2. *Epistola ad Demetriadem*, scripta circiter an. 412. Hieronymi nomen quoque tulit. Sed Pelagii esse convincitur ex fragmentis quæ inde laudat Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 22, 27, 37, 38, 40, et in epistola ad Julianam Demetriadis matrem. Plura vide apud Voss.

3. *Libellus fidei ad Innocentium Papam*, scriptus an. 417. Nec hic quidem effugere potuit, quin Hieronymi crederetur, et inscribi olim consuevit: *Hieronymi explanatio Symboli ad Damasum*.

##### II. Deperdita, quorum fragmenta exstant.

1. *Liber Ἐδλογίων*, quod vertit Vossius, *honestorum sermonum de actuali conversatione. Eulogiarum pro actuali conversatione ex divinis Scripturis* librum vocat Gennadius et *pro actuali vita librum* Honorius Massiliensis. Orosius *Testimoniorum* titulatione signatum fuisse tradit. In eo ad Cypriani exemplum varia sententiarum capitula e Scripturis comprehensa fuisse, ex Hieronymo et Gennadio discimus. Unde sagaciter recens scriptor Guil. Wallius, in *Historia Pæ-*

**A** dobaptismi *Eclogarum* librum legendum cõjicit. Testimonia et fragmenta ejus præbent Hieronymus in *Dialog. adversus Pelagianos* lib. 1, ubi titulum 14, 21, 51, 72, 73, 81, 83, 100, 123, 131, 164, 165, citat, et Augustinus contra duas Pelagianor. epist. l. iv, cap. 8, et de *Gestis Pelagii*, cap. 1-6, quæ junctim exhibentur etiam apud Garnerium ad Mercat. loco laudato.

2. *Liber de Natura*, cui opposuit Augustinus librum *de Natura et gratia*, in quo plura ex iis inseruit. Garnerius in Sicilia compositum putat, incertus tamen utrum ipsi Pelagio an Cœlestio aut Aniano tribuat. Per Jacobum et Timasium, juvenes Pelagium adsectantes, in manus Augustini pervenerat, et ab Africanis episcopis quibusdam ad Innocentium missus fuit. Fragmenta sunt apud Garnerium dicto loco et sq.

3. *Liber unus* vel etiam alter *ad viduam consolatorius atque exhortatorius*, cujus memoria et fragmenta supersunt apud Hieronym. dial. 3, Augustin. de Gest. Palest. c. 6, et Mercator. in *Commonit.* cap. 4, unde ea collegit Garnerius ad Mercat. diss. 1.

4. *Epistola ad Augustinum*, seu, ut vocat ille, *chartula purgationis* missa per Carum diaconum post Synodum Diosopolitanam. Augustin. de Gest. Pelag. c. 30; Garner. loc. cit.

5. *Epistola ad amicum quemdam presbyterum*; post synodum Diosopolitanam. Augustin. de Gest. Pelag. c. 30; Garner. loc. cit.

6. *Epistola ad Innocentium I*, an. 417, una cum Symbolo fidei missa. Augustin. de Gratia Christi, c. 30, sq.; Garner. loc. cit.

7. *De libero arbitrio libri quatuor*, quos oppugnat Augustini liber *de Gratia Christi* et plura simul ex

ets servavit cap. 4, 7, 10, 18, 28, 29, 39. Quæ fragmenta ex libro primo, potissimum autem tertio, iusto ordine proposuit Garner. loc. cit.

### III. Plane deperdita.

1. *Libri tres de Trinitate*, quos ante Commentarios in Epistolas Pauli composuisse videtur.

2. *Epistolæ tres*, una ad Paulinum, altera ad Constantium, quarum Augustinus meminit in lib. de Gratia Christi, cap. 34, 35 et 36. Tertia ad ipsum Augustinum scripta fuit statim post adventum Pelagii in Palestinam, ne insalutato hospite abiisse videretur, ut recte Garnerius occasionem ejus denotat. Prioribus duas annis 405 et 406 assignari oportet.

Novissime demum eidem *adscribere* ausus est B. Semlerus *Epistolam ad Celantiam matronam de ratione pie vivendi*, similitudine orationis et rerum tractationis inductus.

### § 2. EDITIONES.

#### I. Expositionum in Epistolas Pauli libri XIV.

Non meminimus prius editos a quopiam hosce commentarios, quam ab Erasmo in prima editione Operum Hieronymi an. 1516, unde postea semper Hieronymianis operibus adhaeruerunt, nec alibi, præterquam in Joan. Clerici appendice Augustiniana, recusati sunt. Quomodo autem de iisdem insigniores Hieronymi editores meruerint ex hoc indere patebit.

1516. *Basileæ apud Froben.*, in-fol. Commentaria in Epistolas Pauli; exstant in tomo IX. Opp. Hieronymi a fol. 131-190. « Commentarios in omnes divi Pauli epistolas, inquit Erasmus in Præfatione huic tomo præmissa, Hieronymo vindicabat codex quidam obsolete vetustatis, Gothicis characteribus exaratus, sic sane perplexis et jam præ vetustate evanidis, ut coacti fuerimus in elementariorum ordinem rursus descendere, et quod in ludis puelli faciunt, litterariis apiculis noscitantis operam dare; sed et ii sicut proximi superiores, indigni sunt iudicandi qui Hieronymo tribuantur. Quando enim sic ineptit Hieronymus, ut hic interpres, quisquis is demum fuit; quin sic habuit, ut hic frequentissime solœcissat? Tametsi is, qui Glossam (ut vocant) ordinariam consarcinavit, Hieronymi titulo nonnulla citat quæ nominatim in iis Commentariis comperiuntur. At hoc neutiquam satis probaverit Hieronymi Stridonensis esse, quod scilicet sunt illius nomine citata. Neque enim hoc agebat glossarius iste, sive Rabanus fuit, sive alius quispiam, ut cujus essent inquireret, sed pro tempore quod ad rem suam faciebat, id excerpebat. Dicit hic aliquis: Quid igitur hic opus erat adulterina legitimis cum excuderentur admiscere? Huic respondebimus, quod etiam in aliis præfationibus ante diximus, nos videlicet non doctis modo, sed et indoctis voluisse morem gerere. Si Commentarios in Marcum omissemus, aut in Paulum non appressissemus, quas statim imperiti tragœdias excutissent. Et habent qui sunt apud Hesiodum de primo secundo hominum genere, quod aut illi per se ipsos, aut ii præmoniti cum iudicio legant; et non deest stupidis illis tertii generis, apud eundem poetam quod amplectantur, ne scilicet non sit parcemiæ locus, similes habent labra lactucas. Quanquam in iis ipsis in Marcum et Paulum Commentariis quædam invenire licet, quæ doctis etiam placere possint, nimirum ex Hieronymi penam deprompta a studioso videlicet aliquo, qui cum percurrisset Hieronymianas incubrationes, in his multa sublegerit, ut deinde suis admisceret, quo verius hujus fœci merito Hieronymus videri posset. Quod studium olim fuit monachis, iis maxime qui de familia sunt divi Benedicti, nam apud hos, ut religionis, sic etiam litterarum multos annos

(a) Nec tamen in sententiam Ambrosii præceptoris sui, qui Pelagii ipsius esse hosce commentarios sta-

(ut ita dicam) tyrannis fuit, cum mundus a simplicitate Christi desciscens, bellis operam daret, et in barbaricam quamdam feritatem, contempto sapientiæ studio, sensim prolaberetur, et erat tempus quo nihil placeret quod Hieronymi non esset: haud secus quam hodie multis nihil probatur, nisi quod Scotum aut Thomam sapiat. Tum nebulonibus quibusdam ansa fuit præstita, simplicioribus imponendi, venditabantque passim pro Hieronymo nœnias suas, et celeberrimi sanctissimique viri titulum nugis quamlibet nugacibus præfigebant. Cæterum ut detur etiam inter multas paleas aliquid granulum reperire, cum tantum sumpsit Hieronymi scriptorum, istos commentarios nigro calculo notamus, et indignos censemus in quibus legendis studiosi bonas horas male collocent. Docti, qui que sunt naris emunctæ (certe scimus) nobiscum facient, imperitorum et crassorum iudicium nihil moramur. » Cæterum in ed. Basil. 1537 invenies eodem tomo pagg. 263-393.

B 1572. *Romæ apud Paulum Manutium*, in-fol. Commentarii in Epistolas divi Pauli; in editione Opp. Hieronymi Victoriana t. VIII, quæ cum ipsa ad manum non sit, ad paginas Antuerpiensis et Parisinæ laudare necesse est. In Antuerpiensi (an. 1579) exstat t. VIII, pagg. 170-288; in Paris. 1643. eod. tomo, p. 161-277. En vero Mariani Victorii de iis sermunculum (ex Præf. Iulij tomi): « Commentarii in tredecim Pauli apostoli Epistolas, Hieronymi, ipsi etiam minime sunt: nam nec ejus phrasin habent, nec eruditionem; quamvis in fronte operis Epistolam ad Heliodorum inscriptam continent. Quin potius hominis esse Pelagianæ labe commaculati compertissimum est (ne ea tantum quæ orthodoxa non sunt, ab hæreticis potius sunt adjecta). Notavit hoc ante nos Ambrosius Catharinus Politus Compasæ archiepiscopus, catholicæ religionis assertor; notavit et Sixtus Senensis quarto et sexto Bibliothecæ sanctæ volumine: uterque errores Pelagianæ hæreseos, qui eo in opere inveniuntur, redarguentes. Si quis autem scire hoc concupiscat (a), liquido ex expositione quinti ad Romanos capitis inveniet, ubi Adami peccatum in humanum genus, non propagatione et traduce, sed exemplo tantum et imitatione diffusum asserit; ac si illud non contrahant, nisi qui ætate adulta, et ad peccatum jam apta, Adam sceleribus imitentur. Quod ipsum, in interpretatione septimi capitis liquidius apparet. Enarrans enim illud, *sine lege peccatum erat mortuum*, ita scribit: « Item si cum lex non esset, peccatum mortuum est, insaniunt qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum. » Quæ opinio quam impia et hæretica sit, nemo catholicorum ignorat. Ego quid de operis auctore statuam, certi habeo nihil, nisi quod Hieronymi illud non esse compertissimum est. Edi tamen curavimus eo modo quo ante typis mandatum circumferebatur, ne quid priori editione deesset, nulla quidem syllaba a nobis auctum, diminutum aut immutatum: lectorum arbitrio quid de illo existimare velint penitus derelinquentes. »

1675. *Parisiis*, in-fol. Hujus loci et anni nulla quidem exstat Commentariorum horum impressio, sed quod longe pluris valet in editionum eorum annalibus Joannis Garnerii ex soc. Jesu, *Dissertatio de Scriptis Pelagii*, quæ efficit caput 2 Appendicis ad *dissertationem 6 de scriptis ab hostibus fidei pro hæresi Pelagianæ vivente Augustino*, et habetur cum Operibus M. Mercatoris part. 1, p. 367 sq. In ea vero non solum argumentis invincibilibus demonstravit, esse hanc interpretationem eam ipsam quæ Augustino, Hieronymo et Mercatori lecta et a Cassiodoro interposita fuerit, sed etiam ut pateret quantum mutationis fecisset Cassiodorus, *παράλληλος* ea quæ in vulgatis codicibus habentur, Cassiodoro emendatore et quæ

tuerat, concedere se significat Sixtus. Cf. l. iv, pag. 309, ed. Colon. 1626, in-4°.

Pelagius scripserat, relatores Mario et Augustino, opposuit.

1684. *Francofurti et Lipsiæ*. in-fol. Commentarii in Epistolas divi Pauli; in tomo IX Opp. Hieronymi, pagg. 213-321.

1699. *Parisiis*. in-fol. Commentarii in Epistolas divi Pauli; in tomo V Opp. Hieronymi ed. Martianæ, pagg. 925-1106.

1700. *Antverpiæ apud Petr. Mortier*. in-fol. Pelagii Britanni Commentarii in Epistolas sancti Pauli apostoli; in *Appendice Augustiniana*, seu tomo XII ed. Antverpiensis Operum Augustini pagg. 317-458. Quantum Garnerius judicium de hoc opere pronoverit, jam ex titulo sese prodit. Sed et ipsum Clericum audivisse juvabit. « Commentarios in Epistolas Pauli, inquit, Pelagii esse dudum viris doctis suboluerat, remque manifestam fecit Garnerius. Idem etiam liquebit ex *notulis variis locis a nobis subjectis* in quibus Pelagiana dogmata tam liquido notamus, ut res dubia nemini esse possit, nisi harum rerum plane imperito. Plura etiam occurrunt indicia Pelagianismi iis, qui hosce Commentarios diligentius legent. Nisi constaret per aliquot ætates non satis intellectam fuisse sancti Augustini ejusque adversariorum doctrinam, ita ut multi se Augustinianos esse crederent qui Pelagii sententiam sequerentur; mirum esset eos qui sæpius interpolarent hosce Commentarios, loca illa, quibus Pelagii doctrina manifesta habetur, non expunxisse. Sed multi adeo rudes fuerunt, ut sanctum Augustinum quidem Pelagianum facerent, et Pelagium vicissim Augustinianum, eaque imperitiam factum est ut Pelagianismus manifestus correctorum manus hic effugerit. Edidimus hoc opus ex Frobenianis Erasmi editionibus, duntaxat manifesta, quæ remanserant, sustulimus. Optabamus nobis esse copiam ms. cujuscumque codicis, in quo essent hi Commentarii; præsertim quia textus qui in his illustratur non est antiqua illa versio Latina quæ tempore Pelagii obtinebat, sed ab Hieronymo emendata. Non poterat, sine antiquo codice, hoc flagitium exscriptorum recentiorum corrigi. Cæteroque quamvis hosce Commentarios laudare nolumus, præsertim si cum recentiorum laboribus conferantur, attamen non contemnendos esse, pro sua brevitate, si contendantur cum aliis ejusmodi veterum scriptis, existimamus, quare etiam integros eos, et quales e manu auctoris prodierunt, ad nos usque non pervehisse dolemus. »

1742. *Veronæ*. in-fol. Commentarii in Epistolas sancti Pauli, in tomo XI. Operum Hieronymi Domin. Vallarsii, pagg. 835-1069. ed. edit. Venetæ 1772, in-4°, t. XI, part. III, pagg. 134-435. Etsi Pelagii nomen non præfixum est, non negant tamen editores Pelagii esse. Quin non semper verum auctorem ignoratum fuisse raro et luculento testimonio Joannis Diaconi seu *Presbyteri Mansionarii*, Veronensis scriptoris sæculi XIII, demonstrant, qui in *Historia* nondum edita in hæc verba eorum meminit: « Vidi ego ipse Joannes Commentarium Pelagii prædicti, super Epistolas Pauli, in quo licet multa bene et eleganter exponat, tamen subtiliter infundit venenum hæresis suæ. » Idem observant præstationem illam ficto nomine Hieronymi ad Heliodorum directam a melioribus notæ mss. codicibus abesse.

## II. Epistola ad Demetriadem virginem.

In mss. codicibus nunquam nisi inter Hieronymi epistolas et tractatus minores reperitur. Inde est quod ejusdem vetustatis editiones, imo totidem prope numeret ac illius opera opusculave. Nimirum in antiquioribus, id est epistolarum collectionibus locum inter ipsa Hieronymiana occupat, licet mature satis cognitum fuerit non Hieronymum, sed Pelagianum quemdam aut ipsius Pelagium ejus auctorem esse: inde ab Erasmiæ autem separatim cum aliis Hieronymo suppositis exscribi consuevit. Nuper ta-

men seorsim edita est et singulari consilio illustrata. Sed ut omnibus ordo suus constet, temporum seriei et hic potiores descriptiones astringere præcet.

1467. [Romæ apud Udalr. Gallum], in-fol. Epistola ad Demetriadem sub nomine Hieronymi inscripta de Virginitate et vita perfecta; inter Epistolas Hieronymi editas sine loco et anno, parte III, tract. 5, qui inscribitur de *Statu continentia virginialis* et primo de *Virginibus Deo dicatis*, Ep. 67.

Præcedit ipsius Hieronymi ad eandem virginem epistola, quæ prima dicitur, proximeque sequitur epistola ad *Julianam Demetriadis matrem*. Præfixa autem sunt duo argumenta, unum satis prolixum, quod totius tractationis vim et materiam apte et enucleate tradit, alterum brevius de auctore, quod totum hæc transcribere vacat. *Nota quod a plerisque hæc epistola dicitur non esse Hieronymi; sed alicuius Pelagianiste, eo quod nimis bonum nature et liberum prædicet arbitrium. Beda presbiter eam dicit esse Juliani eius hæresis sectatoris in libro de gratia Dei contra eundem Julianum. Nos pleraque huius epistolæ ab Augustino nominis esse reprehensa tanquam gratæ Dei adversaria. Unde suspicatur illam a pelagiano perscriptam, sicut ipse scribit in epistola ad Julianum (sic) Demetriadis matrem; quam ob hæc ipsi libello subdidimus. Continet tum multa salutaria monita: et communiter sub nomine Hieronymi in cædem libris habetur inserta, ideoque et nos illam inscripsimus. Cæterum non hæc ipsa editio nobis præsto est, sed quæ ex illa certo certius expressa est Basilicensis an. 1489, ubi part. et tract. I. I. existat fol. cxxviii. Similiter in editione Norimbergensi an. 1435, præfixo hoc breviori argumento existat parte III, t. V, ep. 188, fol. cclxxvi; item in Basilicensi an. 1497, parte III, tr. 5, qui pariter de continentia virginali, etc., inserbitur, epist. 18, præmissa utroque argumento; nec non eodem lauce loco et numero in ed. Lugdunensi an. 1513, in-f. l. 198 b. sqq. (qui foliorum numerus in ea non impressus cernitur).*

De reliquis Romanis editionibus quid affirmem non habeo, cum nec ipsa, nec alia, quam probabiliter ex his expressam dicerem, suppetant. In editione altera *absque anni et loci indicio* pro-*duca*, quam tomo I Bibl. p. 487 descripsimus, hæc epistola non occurrit, sed sola ipsius Hieronymi ad Demetriadem num. 96 prostat; quod nescio atrum codicibus an curatorum delectui sit tribuendum.

1470. *Moguntia per Petr. Schoiffer.*, fol. max. Hieronymus ad Demetriadem quomodo decet virginem conversari; in Epistolis et Tractatibus Hieronymi, epistola 196, seu 26, in disti. editione 12.

1516. *Basilicæ apud Frobenium*, in-fol. Ad Demetriadem virginem de Virginitate epistola; in Opp. Hieronymi Erasmiæ ed. tomo II, fol. 4 b-13 b. Erasmi censura hæc est: *Erudita prorsus et eloquens (sic) epistola, sed quam, ut nihil aliud accedit, vel stylus palam arguat non esse Hieronymi. Præterea consentaneum non est, Hieronymum ad eandem virginem iisdem de rebus bis scripsisse. Divus Augustinus nonnulli suspicari videtur ab hæretico Pelagiano conscriptam, quod insint in ea nonnulla quæ Pelagianorum dogmata recipiant, præsertim cum is Pelagius in epistola quadam testetur sese ad Demetriadem scripsisse; Beda putat esse Juliani hæretici. Cæterum error subscriptionis hinc natus est, quod Hieronymus quoque scripserit ad hanc virginem argumento non dissimili.*

1579. *Antverpiæ apud Christ. Plantin.* in-fol. Epistola ad Demetriadem virginem; in Operibus Hieronymi ed. Marii Victorini h. a. et l. iteratæ tomo IX, pagg. 1-12, in Parisiensi 1643, ibidem pagg. 1-10.

1684. *Francofurti et Lipsiæ*, in-fol. Eadem; in Opp. Hieronymi tomo IV, pagg. 12-21.

1706. *Parisiis*, in-fol. Eadem; inter Opera Hieronymi ed. Martianæ tomo V, pagg. 41-50. Præfixa est Erasmi censura. Ipsi notant, in quibusdam mss. codicibus Cælestio, in aliis Juliano eam tribui

1742. *Veronæ*, in-fol. Pelagii ad Demetriadem A epistola; in Oj'erum Hieronymi ed. Vallarsii tomo XI, part. II, pagg. 1-26.

Observat editor, Bedæ suspicionem, qui Juliano eam tribuit, fundari codicibus nonnullis mss., e quibus unum vetustiore Bibliothecæ S. Victoris eidem eam asserentem laudat. In repetitione Veneta 1771, in-4°, invenitur eodem tomo eademque parte, pagg. 2-35.

1775. *Halæ Magdeburgicæ impensis Car. Herm. Hemmerde*, in-8°. Pelagii sancti et eruditi monachi epistola ad Demetriadem cum aliis aliorum epistolis. *Dan. Whitby*, S. T. P. Tractatus de imputatione divina peccati Adami, posteris ejus universis in reatum. Recensuit et notas addidit D. Joan. Salomo Semler.

In hoc volumine, præter ea quæ titulus laudat, comprehenduntur *Augustini et Atypii epistola ad Julianam Demetriadem matrem*, *Hieronymi epistola ad Demetriadem de servanda virginitate*, *Excerpta ex Leonis M. Sacramentario de consecratione virginum*, *epistola ad Celantiam matronam de ratione pie vivendi*, quam, ut supra jam notavimus, Pelagio primus vindicare editor statuit; denique *Excerpta ex Augustini libro de Gratia Christi contra Pelagium et Cælestium*, quæ ad Pelagii epistolam ad Demetriadem pertinent. Florum autem opusculorum consociatione et per notas non parca manu aspersas illustratione id egit editor omni qua valebat animi contentione, ut invidiam, qua Augustinus Pelagium involverat, in ipsum auctorem redundare faceret. Et sine eum non minimum ex disciplinae suæ studio fructum hunc percepisse se existimet Semlerus, quod summam Christianæ doctrinæ non tam in systematico aliquo et formulis doctorum custodiendis, quam animo in verum numinis cultum juxta luculenta Christi præcepta componendo contineri didicisset, id quod nulla non occasione in scriptis suis reperit et inculcat; non poterat non cum universe Africanis Patribus, tum Augustino præcipue esse infensor, quorum sedulitate, machinis et scriptis id effectum esse noverat potissimum, ut a vero disciplinæ Christianæ sensu ad inanes vel frivolos etiam quæstiunculas animi abducerentur

### III. *Libellus fidei ad Innocentium.*

Duplex exstat hujus *Libelli* lectio, una, quæ inter Hieronymiana Opera reperitur, integra ac vera, sed lemma: *Explicatio fidei ad Damasum* inscripta; altera vero *Augustinianis Sermonibus de tempore inimista*, quam præfatiorum, quasi Augustini, antecedit, interpolata, et ad sermonis popularis habitum deflecta. Prior etiam in Caroli Magni libris de *Imaginibus* sub Hieronymi nomine et in Baronii *Annalibus* ad an. 417 deprehenditur, ex Vaticano codice, qui varias Zosimi papæ epistolas continebat, descripta et suo auctori vindicata. Ac ex eo quidem, quod in Caroli isto volumine adducitur, colligi posse videtur jam ante ista tempora hanc opinionem fuisse pervulgatam, cui accedit etiam auctoritas codicis ms. cujusdam Carolo Magno jam rege, necdum imperatore, scripti, quem a Jacobo Sirmondo inspiciendum acceperat Launois, qui tamen non ad illam ætatem eum pertinere, sed a recentiore manu scriptum existimabat. In Coislino etiam veteri ms. libro sic inscribi notat Vallarsius: *Symbolum fidei a beato Hieronymo compositum et sancio papæ Damaso ab eodem missum*. Eum vero contrariam sententiam tuetur Launois in peculiari super hoc symbolo dissertatione, mox disertius laudanda, argumentis non sane levibus, silentio nempe concilii Francofordiensis an. 797 in causa Elipandi Toletani episcopi et pro catholicæ fidei traditione contra hæreticos asserenda acti, et ip-

sus Caroli Magni nec non Aeliani in libris septem adversus Felicem Urgellitanum episcopum et libris quatuor contra Elipandum; porro Agobardi Lugdunensis ejusdem Felicis adversarii, et Hincmari Agobardi æqualis silentio. Quod codices autem attinet, et quidem illum Sirmondi, recentiore manu eum arguere jam ante diximus. Addit vero librarium etiam et codicis compositorem scripturæ suæ vestigia in Caroli regno impressa relinquere potuisse, etiamsi Caroli regni æqualis non fuerit; aut potuisse post Carolum in codicem suum monumenta plura simul conferre, quorum unum ad Caroli regis tempus attineret; unde tamen non sequi concludit, cetera monumenta eodem tempore jam tum primum esse conscripta. Imo hanc professionem fidei post Carolum libris de imaginibus inferri potuisse ab eo qui libros describeret, et numentum et præsidium hoc illis deesse ægre ferret. Ita stabilita sua sententia concedit tamen, non diu post Caroli Magni ætatem illud contigisse.

Nam Remigii, qui medio sæculo nono vixit, Lugdunensis episcopi, testimonium profert, qui in libro de *Tribus Epistolis*, cap. 39, vel ex codice, vel ipse prius Hieronymi hanc fidem appellat. Ab hoc proximi sunt in eadem sententia sæculo duodecimo Gratianus et Magister Sententiarum, post Thomas, Bonaventura, et scholastici reliqui. Quod Augustinum attinet, nec hunc errorem Caroli Magni ætate fuisse exortum eadem ratione demonstrat, sed primum esse ostendit Guillelmum Parisiensem auctorem decimi tertii, qui in libri de Peccatis et vitiiis capite 10 testimonium sub Augustini nomine ex illa fidei professione arcessat, sive ut pro Hieronymo Augustinum per aliquam incogitantiam acceperit, cum tunc omnes illam fidei professionem ex fide Magistri et Gratiani Hieronymo darent, sive ex codice aliquo sermonum ejus, in quem illata jam erat hæc fidei professio cum sermonis exordio. Guillelmum postea, inquit Launois, exceperunt alii, qui aliis rebus cum vacarent, in mandatis typis Augustini sermones non inquisiverunt, sed misero potius in compendiis studio, indicibus contenti id arripuerunt quod causæ et tractatibus opularetur. Ac hic liceat etiam ejusdem Launoii brevem disputationem, qua via ac ratione factum sit, ut ista fidei professio utriusque, Hieronymo et Augustino, subjecta fuerit, inserere. Fatetur quidem scitu difficillimum esse et uniuscujusque conjecturis permitti debere. Hæc autem, inquit, in Hieronymo quum in Augustino expeditiores videntur. Modi suppetunt numero tres. Primum, si reperta est ἀπιστος, tunc librarius eruditionis nonnullus, cum in ea Joviniani errores, quos Hieronymus confutaverat, damnari, tum scriptionem idoneam esse, eamque Hieronymi placitis consentire perspiceret, hoc opus illi tribuere non dubitavit. Deinde, si professio cum Pelagii titulo et inscriptione inventa est, tunc librarius pietatis nonnullus doluit, eam, quæ sibi videbatur optima, Pelagii nomen præ se ferre, odiosum nomen sustulit et gloriosum aliud memoratis de causis substituit. Tum denique, si confessio

ἀπιστος illata est codici, in quo cetera opera Hieronymi forent, tunc ex illa codicis illius compactione Hieronymi nomen accepit apud incautam posteritatem. Quod et aliis Patribus non raro accidit. Ad Augustinum quod pertinet, res paulo difficilior atque imperitius transacta est: difficilior quidem, quia oportuit professioni fidei concionale exordium præfigi, ut qui fidei libellus reipsa sermo non erat, sermo videretur: imperitius vero, quia beatus Augustinus libellum fidei generationem et per aversionem reject. Et sane quæ in eo de libero arbitrio ad utrumlibet flexibili et commutabili dicuntur, posterioribus beati Augustini dogmatibus non omnino concordant. Hæc Launois. Superest jam ut quos

\* De longiori dissertatione vel potius panegyri quam hæretico prorsus calamo in hanc Semleri editionem contexit Schœnemannus, sequentes lineas

exscribere visum est, quibus perlectis statim de Semleriana recensione sententiam ferre poterit vir catholicus. Erit.

ab inventa typographia editores hic libellus nactus A  
faerit, breviter sed more nostro recensamus. Annalib. ad an. 417, Zosimi papæ 1; in edit. Man-  
siana (Lucæ 1741), tomo VII, num. 31-36, pagg.  
100-101.

## SÆC. XV.

1467. *Romæ apud Udalr. Gallum*, in-fol. Expositio fidei beati Hieronymi presbyteri ad Damasum papam; in qua hæreses plurimas de Trinitate et incarnatione ubi impie sentientes damnat, petens suam fidem a Damaso comprobari; inter Epistolas seu Opuscula Hieronymi, *absque loci et anni indicio*, sed probabiliter ab eo quem laudavimus typographo eodemque l. et a. impressa, parte 1, tract. 4, epistola 2. Ad manum nobis est iteratio Basileensis a. 1489, ubi exstat fol. viii. Editionem hanc sequitur Norimbergensis a. 1495; sed in Basileensi a. 1497, et Lugdunensi 1513, deest hæc Expositio. Romanæ Schweynhemii et Pannartii editiones non suppetunt.

1479. *Moguntia apud Petr. Schoiffer.*, in-fol. Hieronymus Damaso exponens fidem suam vel approbandam vel corrigendam; inter Hieronymi Epistolas h. ed., distinct. 2, epist. 4.

*Sine anno et loco*, in-fol. Explanatio fidei sancti Hieronymi ad Damasum; inter Epistolas et Tractatus Hieronymi, editionis inominatæ, sed quæ ætati præcedenti suppar videtur. Epist. 15.

1494. *Basileæ apud Jo. Amerbach*, in-fol. Augustini sermo de sancta Trinitate; inter Sermones de Tempore h. a. et loco primum cum variis aliis collectionibus vulgatos, sermo 191. In eadem collectione inserta integræ Operum editioni Erasmiannæ 1542, tomo X, pagg. 1018-1020, in ed. Lovan. exc. Paris. 1586, t. X, p. 347-48; in ed. Benedictina rejecta est in Appendicem tomi V, num. 236 *de fide catholicorum*, IV juxta Antuerp. descriptionem, p. 274-276.

## SÆC. XVI.

1516. *Basileæ apud Froben.*, in-fol. Symboli explanatio ad Damasum; in ed. Operum Hieronymi Erasmiannæ, tomo II, fol. 56 b. Erasmus nullum ex omnibus omnino, quæ inter Hieronymi epistolas reperiuntur, symbolis istius esse censet, sed de hoc nihil amplius statuit.

1549. (*Parisiis*), in-12. Confessio fidei catholicæ (quam a sanctis Patribus accepimus et pio corde credimus) beati Hieronymi verbis expressa; in opere Caroli Magni de Imaginibus, libro III, cap. 1. Prima hujus operis editio facta est h. a., loco vero occultato, a Jo. Tilio Meldensi episcopo, simulato itidem nomine *Eliphili*; in qua hæc confessio exstat pagg. 291-97. Curata est deinde non una descriptio a Melch. Goldasto et Phil. Pareo. Novissima est Christ. Aug. Heumannii Hannoveræ, 1731, in-8°, ubi hic libellus exstat pagg. 259-64. Sed, quod mirere, ne verbum quidem ad eundem monuit editor.

15... *Romæ*, in-fol. Explanatio symboli ad Damasum; in Operibus Hieronymi ed. Marii Victorii, tomo IX, epist. 17. in exemplis Parisiensibus a. 1643, pag. 60.

1592. *Romæ*, in-fol. Libellus fidei Pelagii ad Innocentium cum epistola transmissus, in Cæs. Baronii D

## SÆC. XVII.

1663. *Parisiis*.... in-8°. Jo. Leunoi Constantiensis, Parisiensis theologi, dissertatio de vero auctore Professionis fidei, quæ Pelagio, Hieronymo et Augustino tribui solet. In ed. Operum ejus Coloniae 1751, exstat tomo II, parte II, pagg. 305-324.

1673. *Parisiis, apud Seb. Marc. Cramoisy*, in-fol. Confessio seu libellus fidei a Pelagio ex Oriente Romanæ missus ad sedem apostolicam; in Jo. Garnerii dissertationibus ad Mar. Mercatoris opera, dissert. 5, quæ est *de Libellis fidei editis a Pelagianis*, pagg. 307-309.

Garnerius usus est in hoc libello representando apographo codicis antiqui P. Sirmondi, ejusdem hæc dubie quem ab eodem commodatam acceperat Launois. Ipse autem, ut Garnerius affirmat, sua manu B descriptum editurus erat, nisi eum prævertisset Baronius. Correctionem tamen aliquanto Baroniana lectione hanc suam recensionem esse pollicetur editor. Tres autem illius partes fecit, quarum primam *Theologicam*, alteram *Œconomicam*, tertiam *Ethicam* dixit, prætereaque numeris sectionum 26. distincti. Contendit eundem deinde pagg. 309-314 cum Cælestii symbolo. quod integrum item sibi visus est edere. Notas etiam addidit, in quibus verum sensum nunciusque tam apertum quam tectum aperire studuit.

## SÆC. XVIII.

1705. *London printed by J. Downing for R. Symson*, etc., in-8°. Pelagius's Creed sent with a Letter (*fragmenta litterarum*) to Pope Innocent but finding him dead, translated and illustrated by W. Wall (vicar in Shoreham in Kent); in ejus *History of Infant-Baptism*. part. 1, cap. 19, § 29 et 30, pp. 249-263. Notior præclarus hic liber redditus est in Germania, ex quo Joan. Ludov. Schlosserus eum idiomate latino donavit et excudi fecit duobus itidem voluminibus in-4°. Bremæ 1748, in quorum primo pagg. 372-391 ipse textus hujus symboli, adjuncta versione Anglica, notis autem Wallii Latine textui statim subjectis, et appositis in imo margine Schlosseri animadversionibus, exhibetur.

1706. *Parisiis apud Ludov. Roulland*. in-fol. Explanatio Symboli ad Damasum; in tomo V Operum Hieronymi, ed. Martianæ, p. 122 sq. Non operæ pretium duxit Martianæus lectorem admonere de auctore hujus symboli, imo Erasmi censuram, quam huic et reliquis symbolis quæ in Hieronymo occurrit præmiserat, repetere satis habuit.

1742. *Veronæ* in-fol. Explanatio Symboli ad Damasum; in ed. Operum Vallarsiana, tomo XI, part. II, pagg. 146-150, in ed. Veneta (1771), *ibid.*, pagg. 202-205. Præmissa est admonitio justa et huic loco apta.

## EXPOSITIONES

## IN EPISTOLAS SANCTI PAULI.

(Excusæ sunt hæ Expositiones in Appendice ad sancti Hieronymi Opera, Patrol. tom. XXX, col. 645)